



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Marcellus Conf. 29. Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

S. MARCELLVS CONF. 29. Decembris.

A Pameæ natus MARCELLVS patrem morte puer amisit. In puero tamen hoc miseri patrem suum invenerunt, cum hereditatem omnem his cederet. Ephesi quoque quod scribendo lucellum sibi parabat, habebat cum egenis commune. Post verò Abbas certavit etiam cum Deo liberalitate. Sed cur hic ab homine vinceretur? Itaque cum x. nummos, qui uni reliqui erant, omnes erogari in captivos nuper Episcopos iussisset, mox dono xc. talenta recepit. Succensuit nihilominus dispensatori, quòd uno retento nummo, scenus x. talentis imminuisset. Taceo horreum vacuum mox frumento plenum, quod unis scilicet precibus suis MARCELLVS convexit: quas quidem quàm acceptas haberet Deus, ille vidit, qui supplicem humo ab Angelis vidit attolli, & solis instar nitere. Porro corpora ægrorum ita curabat, ut simul medicinam animis faceret. Quare Judæus in morbum toties, quoties in perfidiam est relapsus, dum ludentem cum Deo & Divo mors castigavit. Jam cum Byzantium urbs tota flammis delenda esset, mediam servavit MARCELLVS, igne lacrimis extincto. Cœnobium ipsius cum spoliare pararent milites, lux ingens hoc tegere visa, in luce crux, è cruce verò tot fulmina, quot tela, quæ non jam manus in prædam, sed pedes in fugam docuit prædones conjicere. Ad do illud, cum Reipublicæ causâ Leonem Imp. adiret, honoris causâ ab Angelis deductum esse, uti tam nobiles stipatores corporis monacho ipse puto Imp. invideret. *Ex Metaphr.*

Homo qui natura donum, munus anime, rationis benefi-

beneficium, excellentiam sensus, artis industriam, cultura bonum per steriles actus evertit, mergit auctori fructum, cultori gratiam negat; sicut arbor è terra, sic iste è vitâ meretur excidi. S. Petr. Chryf. serm. 106.

S. EBRULPHUS CONF. 29. Decembris.

EBRULPHVS è regis Gallia ad Christi aulam transiit, haud paulò honestiori loco futurus. Permoveere ad transitionem illa Christi verba, quibus non modò EBRULPHVM, sed te etiam, Lector, hodie invitat: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Hæc, inquam, cum attentius apud animum suum confiderasset EBRULPHVS, quàm vulgò solemus, non insuper habendam ratus est conditionem, quam non homo rex, sed Deus offerret: mox igitur conjugii, liberis, aulæ, opibus, & clientelis vale ultimū dixit. Accessere comites EBRULPHO tres alii, quibus omnibus in solitudines dux bonus Angelus bonus fuit. Ibi, ut, quod initio dixeramus, non aulam, sed dominum scires deferuisse, cellas exædificavit centum & quinquaginta, totidemque clientes numeravit, aluitque, commeatum subinde cælo suppeditante. Nam cum dimidiis fortè panis, qui unus reliquus, imperio Divi, pauperi cessisset, adfuit continuo mulus cibariis onustus. Plus etiam sollicitus fuit viaticum divinum abeuntibus è vitâ ut daret: quare cum sine hoc è Sodalibus quidã decessisset, in vitâ revocavit tantisper; tum demū cum hoc ire feliciter jussit. Ipse quoque ultimū æger præter hunc cibū alium nullū multo tempore admisit, stomacho (vel animo potius) omnia humana respiciente. Mortuus deinde inter preces suorum revixit, dum